

quos de manu nobilis viri Heinrici de Chotsowe iure feodalī tenebat, eidem nobili resignavit et idem nobilis mansos praelibatos resignavit marchioni Misnensi, a quo ipsos feodaliter obtinebat, marchio quoque iam dictus, qui mansos praenotatos ab ecclesia nostra, nobis episcopo et praedecessoribus nostris iure feodi obtinuerat ab antiquo, ad manus nostras renuntiavit omni iuri, quod in practaxatis mansis tam ipse quam praedecessores sui habuerant talibus pactis et conditionibus interpositis et adiunctis, quod ius proprietatis et dominium praescriptorum mansorum canonicis regularibus et coenobio sancti Thomae in Lipzk integre conferantur. Nos itaque promotioni religiosorum virorum et locorum efficaciter intendere operae pretium iudicantes desiderio marchionis praefati occurrimus benivola voluntate ac mansos pluries dictos cum omnibus suis pertinentiis tam intra quam extra septa villae contulimus canonicis et coenobio supra dictis cum omni iure, quod nos et ecclesia nostra habebamus in ipsis, a fratribus eiusdem coenobii qui pro tempore sub regula beati Augustini militarint ibidem inconcusse ac libere perpetualiter obtinendos. Sane ut circa praemissa, quae ad honorem dei sic rationabiliter sunt peracta, oblivio sinistra interpretatio iniquorum calumpnia nullum sibi locum valeant invenire, in memoriam perpetuam et vivacem praesentem paginam conscriptam super omnibus praelibatis sigillorum nostrorum appensionibus iussimus consignari, praesentibus et consentientibus nostri capituli fratribus, quorum nomina sunt subscripta. Norpertus praepositus, Fridehelmus decanus, Bruno custos, Rüdolfus cellerarius, Otto scolasticus, Hildebrandus canonicus, Gerhardus canonicus, Zlauco canonicus, Cunradus canonicus, Cunradus canonicus, Theodericus canonicus, Johannes cantor, Guntherus canonicus, Daniel canonicus. Acta sunt haec anno gratiae M^o.CC^o.XLVI. II. Kal. Maii, III^a indictione, pontificatus nostri anno secundo.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Fäden von rother, grüner, gelber und brauner Seide.

No. 16. 1248. 9. Mai.

*Markgraf Heinrich verkauft 87 $\frac{1}{2}$ Scheffel Getreide von der Angermühle an den Probst Conrad, welcher bereits früher den übrigen Theil des markgräflichen Zinsgetreides erworben hatte.
(Vgl. auch No. 10.)*

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio, Thuringiae lantgravius et Saxoniae comes palatinus omnibus imperpetuum. Cum nostrum sit desiderium et voluntas, ea omnia ubicumque possumus promovere, quae ad cultum divinum provenire poterunt ampliandum, dignum et utile iudicamus, ut eadem scriptis nostris et fidelium testimonio taliter muniamus, ne per oblivionem aut malorum ingenio imposterum in irritum deduci valeant vel mutari. Recognoscimus siquidem et tenore praesentium publice profiteamur, quod honorabilis vir Cunradus praepositus sancti Thomae apostoli in Lipze partem annuae videlicet octoginta modios et octavum dimidium modium, quos in molendino sito iuxta sanctum Jacobum in Lipze extra muros habuimus, suae ecclesiae iure proprie-